Doctissime, & Clarissime vir, Dne, ac fr mi charme. S.P.
Thucydides à te Græce, latineq. editus omnes tibi obligauit
qui optimarum artium in studio versantur. Ita enim abste
est editus opt. historiæ scriptor, vt nihil viderim vllo in gne
politius, nihil emendatius. Quare non modo præstantis cuius-
dam industriæ parta tibi laus est, sed etiam singularis ingenij
atq. doctrinæ. Quas animi tui dotes cùm iam olim multis è
scriptis à te in lucem emissis cognoui, tum in hoc obscuritissimo
scriptore, et ad intelligendum vndiquaq. difficilimo, vehementer
sum admiratus. Quod verò eum ad me miseris, dici non potest
quantæ mihi voluptati sit; in eóq. me tibi, & ōibus rebus orna-
tiss. viro, D. Ego Rhedonen, amicissmeo, multum debere
fateor. Nihil enim vtilius, nihil ad mea studia aptius
mittere potuisti. Delector enim hoc genere scriptorum, vt qui
maxime, etiamsi neque excello in his studijs, neque ea pro
meo arbitratu in hac vita, hoc præsertim legationis meæ Polonicæ
tempore, molestissimorum negociorum plenissima, tractare, &
excolere possum. Tua hac laus est, Henrice, tua facultas:
qua non ad priuatum commodum abuti, sed vtilitati publicæ
inseruire præclarum, & sanè prædicabile est. Perge igitur
iuuare studia nra, neq. laborib. frangare, quos cum vtili-
tate publica, & immortalitatis fructu compensare debes.
Ego quid possim scio, vel potius parum me posse intelligo.
Verumtamen hoc tibi persuade, si quo loco tibi opera, &
quantulacunque gratia, & auctoritas mea vsui esse potuit,
me omni studio perfecturum, vt tibi cumulate relatam

gratiam fauare. Versus tui eleganter, & flebiliter scripti, magnum mihi dolorem, & acerbissimi casus tui grauem miserationem commouerunt. Sed tu quidem hoc mihi videris consecutus, vt et tua pietas posteris nota futura sit, & illa in tuis monumentis non minus, quàm Leda, opinor, in Antimachi, ad omnem æternitatem victura.
Gratissimum mihi feceris, si ōm librorum, qui ex tua officina prodierunt, vel scripti à te, vel emendati, vel Scholijs tuis explanati, Jndicem ad me miseris; idq. vt facias valde te rogo. Quas ūras cum tuis coniunxeris, humanitatis tuæ erit curare, vt ad D. Eḡm Rhodonem perferantur.
Vale, meq. mutuo dilige, & v.c. Theodoro Bezæ pl. ex me sal. dicito. Ex Comitijs Lublinensibus ōm Rōinum, & Statuum Jmperij Polonicj. XIIII Julij An. DLXVI.

Tui amantiss. & studiosiss.

Andr. Dudithius
F. Q. nris. manu sua.

Doctiss.° & Clariss.° viro, Dño
Henrico Stephano, Typo-
grapho & ciui Geneuensi
S. Dño, & amico hon.

Geneuæ.

Duditius.